DE

FRAMBOESIA IN COLONIA SURINAMENSI

OBSERVATA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

CUM

CONSENSU FACULTATIS MEDICAE WURCEBURGENSIS,

AUCTORE

F. A. C. DUMONTIER,

DOCTORE MEDICINAE CHIR. ET ART. OBSTETR.

Bruggensi.

TRAJECTI AD RHENUM,

TYPIS GIEBEN & DUMONT.

MDCCCLV.

VIRO EXPERTISSIMO

G. A. BAUM,

MEDICO MILITARI PRIMI ORDINIS CORONAE QUERCAE ORDINIS EQUITI,

AMICO INTEGERRIMO

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Inter morbos tropicos, qui cutem afficiunt et medicorum studio dignissimi sunt, haud extremum locum occupat malum illud, quo Nigritani indigenae (Negers) tam frequenter laborant, inter nostrates vulgari nomine Yaws vocatum.

Quamquam autem doctoratus gradum petiturus de Framboesia sive Yaws hoc specimine agere constitui, nemo tamen monographiam hujus morbi exspectet; nam eheu! multa adhuc de eo restant dubia, incerta et fallacia, imprimis quod attinet ad anatomiam pathologicam. Equidem, quae tempore octo annorum, quos in colonia Surinamensi versatus sum, vel ipse vidi, vel a dilectissimo socero doct. LANDRÉ aliisque audivi, ea, comparatis tam veterum quam recentiorum scriptis, idoneum mihi dissertationis inauguralis conscribendae argumentum praebere visa sunt. Itaque mihi liceat hoc meum opusculum inscribere „De Framboesia in colonia Surinamensi observata."

Inter scriptores, quos consultavi, imprimis nominandi sunt FERMIN, KÜHN, LEVACHER, THOMSON, WINTERBOTTOM, ALIBERT, RAYER, FUCHS, BATEMAN, SPRENGEL, alii.

Dolendum est, curationem hujus subhorridi morbi, quem per servorum mercatum ex Africa in Americam translatum merito dicas, ex praejudicata opinione plerumque vetulis, vel iis, quos

Yaws-hospitaalhouders [1]) Belgice dicimus, relinqui. Morbi enim hujus regionis endemici (ad quos multi referuntur) ab indigenis tantum sanari posse creduntur.

Sine dubio hoc vitium tam nostris legibus medicinalibus non omni ex parte bonis, quam medicorum ipsorum negligentiae tribuendum est; hoc certum est, medicos ipsos fere nihil fecisse ad durum illud malum diminuendum. Neerlandicis vix credibile esse potest, non multis abhinc annis milites ac nautas, qui, morbo Framboesia affecti, in nosocomium militare recepti fuerant, sanandi causa translatos esse ad dres-mama [2]). Hi vero post curationem multos menses continuatam fere semper incurati abiere [3]). Et haud ita pridem medicus quidam, morborum cutaneorum non ignarus, uti credebatur, liberos suos, morbo Framboesia affectos, unice his vetulis curandos tradidit.

Quae cum ita sint, medicinam fere nullos progressus fecisse ad meliorem hujus mali cognitionem multosque adeo ejus esse imperitiores, ne dicam prorsus ignaros, non est quod miremur. Triginta fere anni sunt elapsi, cum doct. KÜHN, medicus militaris 1i. ordinis, qui per multos annos in colonia Surinamensi moratus, erat tractatum de morbo Framboesia scripsit [4]). De hac descriptione, inter nostrates, etiamnum laudata, in hocce specimine dicenda erit nostra sententia.

Lectu dignissimum est, quod LEVACHER de etymologia verborum Pian, Epian, Bubas, Bobas, Siwin et Yaws scripsit. Varias illas denominationes hujus morbi in diversis terrae regionibus opinatus est originem Celticam habere.

Veteres valde dissentiunt de indole hujus mali; nonnulli enim distinguebant inter Yaws et Pian (SAUVAGES, SPRENGEL, LORRY); DARILLE, BAJON aliique putabant esse Syphilidis varietatem; alii rursus opinabantur esse complicationem Leprae cum Syphilide (MACÉ).

SEBASTIAN (Verslagen en mededeelingen van de Koninklijke academie van Wetenschappen, I. pag. 224) dicit, Yaws et Pian videri eandem in rationem venire cum Sibbens Scotico, Falcadine Italico, et Radesyge Scandinavico; addit vero, omnes hosce morbos ad Syphilides fungosas esse referendos.

Conferantur etiam, quae in novella practica (Practisch Tijdschrift van ALI COHEN, 1854, Julij, pag. 401) RINECKER disputat.

Jam antea SWEDIAUR (Malad. Vénér. tom. II, pag. 319); LEVACHER (Guide médical des Antilles, pag. 278 et seq.) aliique [8]) nos docuerant, magnam esse affinitatem inter tropicam Yaws et Sibbens sive Siwia (Radesyge Scotica FUCHS), quae etiam nostro tempore, quamquam raro, in Scotia observatur.

In libro doctiss. QUARIN WILLEMIER [5]) Framboesia describitur tanquam peculiare exanthema, quod cum sanguinis mutatione, partim conveniente cum Lepra, conjungitur, et nomine Thymiosis (pokvormige sponsmelaatschheid) cum Pyrophlyktosibus (pustulis urentibus) in eadem divisione, nempe Thymioleprae, (sponsmelaatschheid) statuitur; Sibbens contra et nonnullae aliae affines formae pro endemica modificatione Leprae (Aktolepra) habentur.

Plurimi et recentiores etiam credunt, morbum omni ex parte differre a Syphilidi et Lepra. Doctissimus FUCHS ad morborum familiam Thymiosis (plane a Leprosi et Syphilidi diversam) retulit Framboesiam, Sibbentem Scoticam, Radesygen boreale, et nonnullas alias species.

Quum autem Framboesiam et Lepram saepe in colonia Surinamensi observaverim, vix opioni hujus ultimi scriptoris subscribere possum, sed opinor, omnino jure doctissimum FUCHS ambos hosce morbos ad duas omni ex parte diversas familias [6]) retulisse, et recte conjunxisse in familia Thymiosis genera Framboesiae et Radesygis. Lectu dignissima sunt ea, quae ille auctor tomo II, p. 555 et sequentibus [7]) de diagnosi, aetiologia etc. utriusque morbi explicare conatus est.

Pustulosi nomen nullo modo adhibendum; etsi enim Framboesia aliqua ex parte convenit cum tuberculis, pustulae dici non possunt, quibuscum minime convenit. — Etiam Dr. JAMES THOMSON a tuberculis Framboesiam discrevit, quo testante ab initio papulosam, tum pustulosam et denique fungosam formam prae se ferunt.

Assentimur RAYERO [9]), dicente „Plusieurs caractères distinguent le framboesia de la syphilis, sa marche, sa durée, l'inefficacité du mercure et surtout l'aspect constamment fon-

giforme des ulcères." Framboesiam et cognata genera non ad syphilides reducendam esse opinatus est etiam FUCHS. Descriptio morbi hujus auctoris, in qua imprimis secutus est medicum Lusitaniae GOMES (Memorias da Acad. de Lisbon, IV.) maximam partem convenit morbo, qualis in colonia Surinamensi a me observatus est. Aliquando vero parvas abberrationes inveni, quamquam semper eaedem formae primitivae sese conspiciendae dabant.

Sequenti capite igitur exponere volumus ea, quae quoad symptomatologiam nobis videntur esse digna, quae propius inspiciantur.

In symptomatis caracteristicis sequentia enumeramus: parva, mollia, supra cutem excedentia tubera sine epidermide et materiem liquidam secernentia; tubercula magis magisque se dispergunt et adspectum spongiosum offerunt. — Morbi decursus valde chronicus est, nec accurate indicari possunt tempora, quibus diversae morbi periodi et totus morbus ad finem perveniunt; hoc vero constat, durum istud malum hodie dimidio ejus temporis, quo olim opus erat, spatio sanari.

Prodromi apud pueros raro occurrunt; attamen aliquando lassitudo universalis observata est. Plurimi mea sub cura erant adultiores, qui ad unum omnes negabant, unquam prodromos symptomata se observavisse; quam ob causam credo, minime certum esse, in Yaws prodromos observari. Auctores hac de re dissentire luculenter patet ex sequentibus, quae inveniuntur in Practische Darstellung der Hautkrankheiten nach dem Systeme des Dr. WILLAN, von THOMAS BATEMAN, übersetzt von LUDWIG CALMAN, herausgegeben von ERNST BLASIUS, pag. 365: „Die frühere Schriftsteller über diese Krankheit be-„haupten, dass die allgemeine Gesundheit durch diesen Aus-„schlag während den ersten Stadien nicht beeinträchtigt werde. „Auf die Autorität des Dr. WINTERBOTTOM und Dr. DANCER „habe ich jedoch angegeben dass eine Febricula der gewöhnliche

„Vorlaufer der Yaws sei. Dr. WINTERBOTTOM bemerkt sogar, „dass den nach einander folgenden Eruptionen, welche eintreten, „gewöhnlich auch leichte Fieber anfälle und bisweilen Frost-„schauer vorangehen." Ex mea autem praxi adnotavi nonnisi duos casus, in quibus illa symptomata observavi; alter erat miles pedestris, qui duas aut tres hebdomades ante morbi eruptionem in cutem de lassitudine, horripulationibus et extremitatum dolore querebatur, quae cum statu gastrico et pruritu cutis conjuncta erant; alter, Europaeus, duas hebdomades antequam morbus in cute se ostendebat, levi febri gastrica afficiebatur. A Nigritanis indigenis nunquam audivi quidquam quo convictus sim, apud eos prodromos unquam affuisse.

Morbi initio sensim sensimque erumpunt, inprimis apud nigritanos indigenas, parvae papulae cum minimis et vix visibilibus pericarpiis, quae insularum instar sunt locatae. Hae papulae ita magnitudine augentur, ut nonnullae lapsu temporis tubercula forment, quarum magnitudo non raro aequalis est piso flavo. Post longius breviusve temporis spatium epidermis in iis retunditur, quae jam colorem albo-rubram praebent; supra cutem excedunt frequentes ad superficiem discretae cellulae epidermidis, quae exarescentes formant crustulas, quae sensim foliorum instar decidunt. Nunc secernitur tenuis serosa materies, aliquando male olens, in qua postea corpuscula puris prodeunt, quibus colorem flavo-album induunt. Haecce tubercula sive excrescentiae spongiosae plurimam partem expanduntur in secubitu, accipiunt fungosum adiposum adspectum; modo in latiores et planiores, modo in altiores et molles in cute summitates confluunt, in quibus primitiva ac separata tubercula luculentis lobulis agnosci possunt. Quamquam autem illa morbi Yaws producta apud pueros inprimis inveniuntur ad oris angulos, anum et praeputium, nunquam sane, vel in pueris, vel adultis, affectiones membranarum mucosarum oris, faucium et nasi cavitatis inveni; quod idem mihi affirmavit doctissimus LANDRÉ, qui in colonia Surinamensi plurimos eo morbo laborantes curavit. — Non raro tamen tubercula separata manent, nec confluunt, praesertim in extremitatibus superioribus et im-

primis in dorso manus digitorumque. Ad superficiem decrescente secretione valde augetur cellarum epidermidalium formatio, quae accumulantur cum liquido secreto, quod ad superficiem crescit et format paulatim massam duram corneam, ita ut induant formam et magnitudinem dimidii pisi flavi. Europaei militis in brachiis, manibus, capite, collo et pectore haec omnia vidi, ad formam usque conicam excelsam supra cutem, plane similia gallorum calcaribus. Hae autem excressentiae corneae post quatuordecim fere dies decidebant, maculas rubras relinquentes, cuti non absimiles, ne cicatrice quidem ulla relicta. Delapsae hae crustulae flavae atque durae, semipellucidae, ad superficiem inferiorem excavatae erant.

Saepe Yaws tubercula ita inter se composita jacent, ut describant annulos seu ambitus (collum). Cutis, quam sic circuli ambeunt apud nigritanos indigenas, vulgo est coloris profunde nigri et valde absimilis cutis reliquae parti, quae plerumque apud eos morbo laborantes tenuiore pigmento ornata est [10]). Apud nonnullos aegros tubercula vidi speciatim hac forma prodeuntia et copiosa quidem. Jure huic varietati nomen dari possit framboesiae circinatae; ei vero, quae a nobis descripta est, nomen framboesiae corneae. — Ad extremitates inferiores plerumque, tam morbi initio quam in decursu, papulae extensione latiore compactae prodeunt; tum confluunt et formant ulcerationes, quae forma plurimis auctoribus audit Mama-Yaws. Semel tantum vidi Mama-Yaws ad extremitates superiores; qui casus morbi obvius apud feminam Lusitanam, recens in coloniam Surinamensem advenam. In dorso manus dextrae inter pollicem et indicem congluvies tuberculorum Yaws formavit sic dictam mama-Yaws, ad floreni magnitudinem, quod nondum in ulcerationem abierat, ita ut supra cutem promineret et spongiosam granulationem, in qua primitivae et jam conjunctae granulationis lobuli facile distinguebantur, ostenderet.

Ad plantas pedes, qua epidermis valde crassa est, excressentiae magis verrucosae sunt et dolentes (crabbe Yaws sive claver-Yaws apud Creolos dictum [11])).

In tabula, auctore doctiss. LANDRÉ maxima cum cura

delineata, offertur imago dicta mama-Yaws naturali magnitudine [12]), qualem ad tibiam hominis Karboeger (ex mulatto et nigritano indigena nati) observavi. Ex ea figura luculentissime patet, morbum mama-Yaws formari ex confluvio tuberculorum, quae ab origine sunt separata.

Morbi Yaws efflorescentiae non eodem tempore omnis se ostendunt in cute, sed in toto morbi decursu semper novae procedunt papulae inter florentia et jam plane evoluta tubercula. Plerumque papulas (forma, sub qua morbus Yaws initio se ostendit) post aliquod tempus evanescere videmus, quod quidem apud illos aegros observatur, qui medicamentis adhibitis morbo levari videntur; morbo autem uno impetu in evolutione suppresso, papulae mutantur in parvas albas excrescentias, quae forma in colonia Surinamensi sub nomine Sawawa cognita est, et morbus secundarius mali Yaws habetur. Equidem opinor, esse abortiva morbi Yaws tubercula.

Jam transeamus ad mali indolem et causas. Sed hoc in capite solummodo de iis agemus, quae certissima habentur, ne Lector Benevolus defatigetur enumerandis illis scriptorum sententiis, quae nobis videntur fere nullius momenti esse. Morbum Yaws esse referendum ad morbos dyscrasicos existimo, quo secundum nonnullos nutritio languescit. ALIBERT [13]) enim dicit, nonnullos peregrinatores affirmare, homines, morbo Yaws affectos, adspectu magnam similitudinem offerre cum illis, qui ad scrophulosim et rachitidem proni sunt. Haec etiam observavimus nostra in colonia apud multos Nigritanorum indigenarum pueros; plurimi enim hoc malo affecti non amplius eodem nigro in cute splendore praediti sunt, multi emarcescunt abdomine tumefacto. Rarissime ejusmodi pueros inveni, apud quos non magna lumbricorum copia simul affuisset. — Credimus summo jure, partem illorum symptomatum neglectae cutis culturae morbo durante esse tribuendam, partem autem malo puerorum nigritanorum indigenarum nutrimento, qui fere unice vescuntur fructibus aut farina, quae est exsiccati fructus Musae Paradisiacae, pulvis

et ab indigenis Gongotè nomine vocatus, cujus amylum tantopere praevalet. Doctissimus KÜHN [14]) recte notavit ineptissimum horum ciborum inter indigenos usum.

Geophagiam a doct. FUCHS [15]) quasi morbi symptoma descriptam semper observavi inter chloroanaemiae et helminthiasis affectiones [16]).

Ad meam sententiam comprobandam in medium ferre cogor observationem unam, saepe utrumque symptoma obvium esse apud nigritanorum indigenorum pueros, qui nunquam morbo Yaws affecti fuerant. Tale quid mihi nunquam occurrebat in pueris meliore loco natis neque in adultis, hoc morbo affectis.

SCHILLING, FERMIN, KÜHN, SCHORRENBERG et alii observatores morbi Yaws hac in colonia, opinati sunt, framboesia nimia festinatione sanata aut delocata, ossa affici, quod tum apud nigritanos indigenas bonke-Yaws vocatur. — Pro certo habeo, multos ossium morbos ab aliis causis, e. g. rheumatismate articulorum, syphilide tertiaria etc. dependentes, cum illo confundi. Saepe periostitidem vidi simul framboesiae primo stadio, non raro etiam ante morbi initium; haec omnia tamen in pueris inveni, qui absque dubio scrophulosi, rhachitide aut syphilide haereditaria laborabant.

LEVACHER [17]) persuasum habuit, framboesiae et syphilidis morbos secundarios, quoad ossium systema afficiant, omnino inter se convenire. Hisce verbis hac de re agit. „En effet le „pian qui n'a pas été soumis à l'action d'un traitement ration- „nellement assez long et qui, dans ce cas, est susceptible de se „reproduire tôt ou tard, en s'accompagnant de douleurs osteo- „copes, d'exostose, de carie, d'osteosarcome et surtout de crabe „à fongus haematode, ne perd pour cela rien de ce qui con- „stitue son caractère spécial: ces derniers symptômes lui sont „simplement tout aussi propres qu'à la syphilis. Il suit encore „une marche semblable à celle des affections vénériennes chez „les enfants, qui en ont hérité de leurs parens ou de leurs „nourrices etc."

Porro syphilidem et morbum Yaws eodem in homine simul posse adesse opinatus, sic loquitur pag. 303: „Le pian ne s'op-

„pose nullement à la transmission de la syphilis, ni la syphilis „à celle du pian. Le pian peut être enfin compliqué par la „syphilis, ou venir par sa propre présence aggraver cette der- „nière maladie. Je me suis souvent convaincu que les malades „atteints de pian et qui cohabitaient avec les femmes affectées „de syphilis (soit de chancres ou de blennorrhogie virulente), „leur communiquaient le pian et contractaient eux-mêmes la „syphilis; aucun rapprochement d'analogie et d'identité ne peut „donc être valablement admis entre ces deux affections, parfai- „tement distinctes l'une de l'autre."

Quum omnino cum illo auctore consentiam, syphilidem et morbum Yaws plane a se invicem esse diversos, pro certo habemus, morbos illos ossium non raro in nostra colonia sine ullo jure morbo Yaws adscribi. Apud pueros diversae aetatis saepe in colonia observantur affectiones syphiliticae ossium, verbi gratia exostoses, caries etc., qui habendi sunt morbi traducti ab hominibus syphilide constitutionali laborantibus.

POOLMAN [18]) jam anno 1798 questus est de nigritanorum indigenarum puerorum languore ex parentum ratione vitae orto et dicit pag. 41, illo tempore morbum Venereum esse morbum universalem Nigritanorum indigenarum. CONRADI [19]) opinatus est, in morbo Pian dolores osteocopos, exostoses et cariem solummodo apud Nigritanos indigenas, non vero apud Europaeos observari. Nunquam in nostra colonia Surinamensi vidi apud Europaeos aut coloratos (kleurlingen), meliori conditione ortos, eas systematis ossium affectiones in morbo Yaws, quum plurimae existant apud homines infimae conditionis et servos, nec solum apud nigritanos indigenas, sed etiam apud Mulatten, Mestiesen, Kastiesen, Poestiesen et Europaeos. Sine dubio haec causa inde querenda est, quod hi graviores gradus scrophuloseos et syphilidis apud cultiores Europaeos non inveniuntur, qui apud nigritanorum indigenarum servos aut a parentibus in pueros transferuntur aut oriuntur ex immunditie, malis alimentis, turpitudine et neglecta morborum cura. — Luculentius patet in illis, quae doct. KÜHN de illo malo scripsit, quum syphilidis, Lupi, scrophuloseos, rhachitidis, pae-

darthrocasis et helminthiasis symptomata cum framboesiae sive Yaws symptomatibus confudisse et permutasse videatur; dicit enim in enarratione symptomatum framboesiae irregularis: „malacia, algemeene cachexie; leucophlegmatische opzwelling van „het geheele ligchaam of opzetting van de parotides en ingui- „naalklieren; knagende pijnen in de beenderen der ledematen, „waardoor de nachtrust verstoord wordt; zweren in de keel, die „de weeke deelen aantasten en vernielen, zweren in de neus, „caries en hardnekkige ulceratien en wanneer de Yaws naar „binnen gedreven is, ontsteking, opzwelling en groote verwoes- „tingen van de beenderen" [20]).

Vulgaris enim est opinio, framboesiam celeriori cura in decursu contractam, semper producere hydropem articulorum [21]), quae Creoles Yawsiwatra vocant. Contendo autem falsam esse hanc opinionem; saepe quidem hydrarthron, imprimis genu, apud nigritanos indigenas observari, sed nunquam aliquem agnoscere potui connexum inter illum morbum aut hydropem bursarum mucosarum, in vicinitate manus articulationis prodeuntem, quamquam semper affirmarent, illam affectionem veram esse Yawswatra. Hoc quidem certum est, illos morbos occurrere in hominibus, qui nunquam aut solummodo in juventute framboesia laborabant. — Semel in vita hominem nostro malo affici haud mihi infitiandum videtur.

Certam et praedestinatam hominum dispositionem in framboesiam esse dubito [22]); quod autem nigritani indigenae magis hoc malo afficiuntur, quam Europaei, his causis tribuendum:

1. Vitae rationi, immunditiae et aedificiis angustis et obscuris.

2. Nigritanis indigenis fatale videtur unicuique, imprimis vero nigritano indigenae, morbo Yaws esse laborandum; quare liberos contagio de industria exponunt.

3. Europaei abhorrent a morbo et omne commercium cum aegris, framboesia affectis, effugiunt. Satis notum est, filios colonorum Europaeorum, nisi omni industria a nigritanorum indigenorum liberis, morbo Yaws laborantibus, amoveantur, eodem hoc malo affici, quod multis exemplis firmare possimus. Europaei, quibus servorum disciplina mandata est (Blank-Officieren), qui

cum puellis nigritanorum indigenarum, morbo affectis, habitant, non raro etiam morbum sibi adsciscunt.

In Urbe plurimi nigritanorum indigenarum coloratorum et Europaeorum pueri immunes a morbo manent, saltem si cura adhibeatur. Morbus non raro cadit in Judaeos pauperes. — Contactu mediato vel immediato morbus propagari potest; existimo tamen, morbum sponte non evolvi. Haec sententia etiam in hac colonia in universum fere generaliter invaluit [23]).

Doct. FUCHS [24]), „ja zelfs vliegen, inquit, kunnen de smetstof „op gekwetste plaatsen, zweren en dergelijke overbrengen." Licet hoc fieri posse non dubitemus, metum certi parvarum muscarum generis, in colonia sub nomine Yaws-vlieg cogniti, omnino nimium esse nobis est persuasum [25]). Vulgo creditur, nostra in colonia transferri morbum eadem ratione, qua a doct. SWEDIAUR [26]) describitur, dicente: „Elles (les petites mou„ches) paraissent en grand nombre le matin de bonne heure „et se montrent beaucoup moins pendant le jour et au grand „soleil. Elles peuvent communiquer le virus à toute personne „saine, après qu'elles se sont reposées sur une personne infectée „en venant se placer sur le coin des paupières, ou sur une „partie légèrement écorchée."

Jam doct. KÜHN dubitavit, num ita contagium transferatur; doct. autem LANDRÉ me monuit, suo in nosocomio Paramaribonensi, ubi fere per 15 annorum spatium semper pueri, morbo Yaws laborantes, excepti sunt, nunquam tale quid se observasse, quamquam aliquando illud parvarum muscurum genus suo in nosocomio matutino tempore certa anni aetate magna copia in ulceribus et vulneribus inveniantur, a quibus vix depelli possint.

An morbus Yaws ab hominibus in bestias transferri possit, mihi non satis compertum est; doct. RAYER in libro morborum cutis, pag. 871 hac de re dicit: „La matière du Yaws n'a dé„veloppé aucune éruption chez le lapin, le chien, après plusi„eurs insertions." In colonia Surinamensi quidem narrantur bestiae et aves aliquando morbo Yaws laborare, exempli gratia Meleagres Gallopavones L. gallinae, oves, vaccae etc. Multi in-

colae non abhorrent ab hac sententia; certissima ejus fides est apud Nigritanos indigenas, qui arbitrantur, ab his bestiis morbum in hominem transferri, tam contactu, quam vescenda earum carne.

Quamquam saepe apud Meleagres Gallopavones L. et gallinas exanthema vidi ab nigritanis indigenis et incolis morbum Yaws habitum, mihi tamen non videtur idem esse morbus, quo homines afficiuntur. Ad rostrum et pedes aliquando inveniuntur dura tubercula, quae quodammodo conveniunt cum illa framboesiae forma, quam diximus corneam, qui morbus ab his avibus in sanas aves propagari potest.

A bestiis in homines morbi traducti exempla certa mihi non cognita sunt.

In opusculo doct: KIEHL [28]) locus affertur: „Bij een' door „Yaws besmetten mensch ontwikkelt de ziekte zich niet, als hij „naar Europa gaat. Tusschen de keerkringen terugkomende echter ontwikkelt zij zich met dubbele hevigheid zonder eene „tweede besmetting." Quae, quamquam lectu dignissima, verane sint an falsa nescio; nam legens ac relegens varia de hoc argumento specimina nihil ad illa comprobanda invenire potui.

Nunc, quibusdam ad curationem pertinentibus obiter enarratis, eam curandi methodum, quae optima nobis visa est, ampliori stadio percurrere nobis proponimus.

Morbum sine ulla artis cura posse sanari cum doct. FUCHS concedo [29]), quare etiam a syphilide distinguendum statuo.

Omnem curationem diligentem praejudicant Nigritani indigenae, credentes ad sanitatem puerorum necessarium esse, eos morbo Yaws affici, et ad id requiri, ut post sanationem in morbum recidant. Arbitrantur etiam, pueros haud esse sanandos ante morbi maturitatem, sive, ut dicunt, nisi sit pinguis; et hanc ob causam Dres-mama et Yaws-doctors, qui vocantur, praescribunt multum adipem [30]) et pro potu herbarum amararum decocta. — Excressentiae spongiosae (tubercula) jam ad maturitatem perductae rugoso aliquo corpore fricantur seu teruntur;

saepe hic inserviunt Zeae-Mais rachides, deinde Acetate Cupri aut Mercurio praecipitato rubro insperguntur. — Tali curatione non raro videmus, pueros in campis colonorum (Plantagie) complures annos morbo Yaws laborare, cachecticum habitum nancisci et multos diem supremum obire marasmo et hydrope. Antea morbi curatio quaerebatur in medicamentis laxantibus, diaphoreticis, aut ita dictis specificis, ad quae praesertim mercurialia et antimonialia referebantur. Nonnulli medici Galli et Angli opinati sunt, methodo debilitante, evacuantibus et fortioribus diaphoreticis periculosos oriri morbos secundarios; SCHILLING [31]) nec non NIELEN [32]) ejusdem sunt opinonis. Ambo illi auctores in eo conveniunt, morbi decursum non esse impediendum; sufficere, ut vires sustententur, ubi haud satis validae videantur. Quando efflorescentia non regulariter procedere videatur, magno auxilio esse balneorum tepidorum putant sinapismorum et vesicatorium usum. Interna medicamenta spir. Minder., Liquor Ammon. succin., Infus. flor. sambuci, Vinum, Tinct. Contrajervae et Camphorae praescribunt, et ubi vires languescunt, corticem Peruvianum et cascarillae commendant. — Plurimi recentiores scriptores eandem methodum laudavere, et hortabantur ne nimis celeriter morbus sanaretur. Mercurialium usus a plurimis reprobatus, a nonnullis, morbo ad finem vergente, utilis censebatur, quia nimis mature adhibitus nocivos eventus habet.

Antimonialia inter multos etiam doct. KÜHN, cujus curatio universe cum illa, quam supra descripsimus, convenit, laudare perseveravit.

Recentiori tempore ad usum internum laudata sunt Arsenicum, Liquor Arsenic. FOWLERI, et iterum mercurialia, imprimis Liq. SWIETENI et protojoduret. hydrargyri. Externo usui commendatur Solutio Mercur. Sublim. corros. (LEVACHER [33])) etc., et deuto-joduret. hydrargyri.

SCHORRENBERG [34]) putat, phyalismum non nocere adeoque minus esse periculosum: semel inde sequi vidit doct. LANDRÉ cariem maxillae etc. Mihi inutile videtur, salivationem exitare, immo periculosam fieri posse censeo. Doct. BATEMAN [35]) ita de longiori Mercurii usu agit. „Die Werkungen des Merkurs jedoch, „wenn er bis zur Entstehung von Salivation gegeben wird, wie

„es die früheren West-Indischen Praktiker empfahlen, scheinen von „sehr zweifelhafter Art zu seyn, besonders, wenn man nicht „dabei vegetabilische Decokte gebrauchen lässt, und es ist ge-„wiss, dass in einigen Fällen die Patienten unter dem Gebrauch „der letzteren bald genasen, wenn die Merkurialien weggelas-„sen wurden."

Antea igitur credebatur, salivationem certae sanationi esse necessariam; aegroti tamen longum per tempus ad hoc aliis remediis praeparabantur.

In libro, qui inscribitur EDINB. ESSAYS, ab anonymo quodam de morbo Yaws scriptore laudatur sequens remedium:

℞. flor. sulphur. scr. j
gum. camphor. gr. v
Theriacae Andromach dr. j.
Syr. Croci q. s. ut f. bolus qq.
nocte hora somni sumendus.

Usque ad totam morbi evolutionem hoc medicamento utendum.

Doct. FERMIN [36]) praescripsit anno 1756 eodem consilio:

℞. Theriac. Venet. unc. vj
flor. sulphur. unc. iij
rob sambuc. unc. ij
m. f. conditus.

Per tres menses uti debebant aegroti hoc conditu; et pag. 122 dicit, octavo mense post morbi eruptionem licere hydrargyri inunctionibus provocare salivationem. Censuit hoc dictum inprimis valere quoad Mama-Yaws, qui morbus sanari non posset absque ptyalismo.

In initio et primo morbi stadio medicamentorum usus, tam internus, quam externus, nobis videtur raro esse utilitatis, cutis tamen cura non est negligenda; nam maximi est momenti et multis in morbi casibus sufficiens; nonnunquam tamen etiam sustinenda est cutis actio decocto sarsaparill. etc. Efflorescentia bono regimine intra 2 aut 3 menses non raro satis evolvitur. Tum, quo morbus celerius sanetur, sequentibus utendum pulveribus:

℞. Chloreti Hydrargyrosi gr. viij
Jodii puri gr. ij
Sacch. lactis dr. ij
m. ut f. pulv. div. in part. aeq. N°. xvj.
d. s. 2 à 3 per diem una.

Mense Julii 1850 hoc medicamentum, primum a doct. LANDRÉ praescriptum, omnium exspectationem superavit. Inde ab hoc tempore ipsemet adhibui in magno aegrotorum numero optimo cum successu. Rarissime ptyalismum producit, qui si locum habuit, ex usu pulverum nimis protracto oriebatur; a proto-jodureto hydrargyro semper citius provenit salivatio. Primis salivationis signis procedentibus statim abstinendum est hoc medicamento. Externus medicamentorum usus etiam nunc non necessarius; continuata mundities sufficit. Farinae Lini cataplasmata applicentur majoribus morbi Yaws ulceribus, qua cura per aliquod spatium protracta, ulcera quotidie perlinantur tinct. jodii, solutione tenui Nitrat. argentici aut aliquo ejusmodi medicamento.

Ille, cujus morbi Yaws delineatio in hac tabula est depicta, tali modo intra octo hebdomades convaluit; a quo tempore bona valetudine fructus est.

E bonis eventibus hujus medicamenti mox invaluit usus in nostra colonia, imprimis, postquam pharmacopola quidam circumforaneus (un medecin de contrebande) hos pulveres nomine Yaws pulverem venditare coepit.

Multis aegris jam initio morbi adhibendo medicamentum, celeriter quidem morbus evanescere videbatur, mox vero redibat, et plerumque sub forma Sawawa; tum difficile curandus erat, imprimis quum non adhuc necessaria adesset morbi evolutio. Hinc patet denuo, morbum Yaws in primo stadio non esse supprimendum.

Quo magis morbus in cute evolvitur, eo celerius et certius post usum supra dicti medicamenti evanescere eum vidimus; non semel sanabatur intra quatuor hebdomades, neque igitur sine aliquo jure illi pulveres in colonia Surinamensi bene audire coeperant.

NOTAE.

1) Plurimi eorum, quibus cura aegrotorum morbo Yaws laborantium demandata est, quamvis ne legere quidem aut scribere possint, tamen ex auctoritate Collegii rebus medicis praepositi (Geneeskundige Commissie) aegros morbo illo affectos in nosocomiis curare solent.

2) Plerumque est vetula Nigritana indigena, cui attribuitur magna morborum indigenorum cognitio, nec solum ab indigenis, sed etiam a cultioribus incolis.

3) Vide SCHORRENBERG, Waarneming en genezing der Jas- of Yaws-ziekte, Nederlandsch Lancet, Series II, Jaargang 4, pag. 38. Hic vir indefessus, jam ab a. 1847 medicus primarius nosocomii militaris Surinamensis, suscipiendis hoc morbo affectis, finem imposuit huic inauditae agendi rationi.

4) Over de Yaws, In Hippocrat. Magazijn, Tom. VII, Pars I, pag. 66. Vide etiam JOHNSON, Invloed der keerkringsluchtstreken, enz. Aanhangsel B.

5) Handleiding der bijzondere Natuurkunde van den zieken mensch etc., Utrecht 1852, Tom. II, pag. 567.

6) Conferatur FUCHS, De ziekelijke verandering der huid, der haren en der nagels etc., Leiden 1844, Tom. II, pag. 520. Inter relata de Lepra Surinamensi, a regii Neerlandici Instituti prima classe ad coloniarum Praefecturam missa, votum exprimitur, ut auctoritate regia in colonia investigetur connexus morbi Yaws cum Lepra, et imprimis requiratur an ille in hunc transire possit. Vide Tijdschrift voor Wis- en Natuurkundige Wetenschappen, IV, pag. 240. Attamen scio, nostra in colonia nunquam hac de re aliquid dubii fuisse; exempla enim transitus alterius morbi in alterum plane incognita sunt.

7) Vide Tom. II, pag. 555.

8) THOMSON (Remarks on the tropical diseases) narrat, medicum quemdam, qui morbum Yaws in Jamaica et morbum Sawin in Scotia observavisset, declarasse, ambos morbos ommino esse identicos.

9) P. RAYER, Traité des maladies de la peau, Paris 1835, Tom. III, pag. 873.

10) Vide NOLTE, Afbeeldingen der huidziekten, Tab. XVIII, fig. 2ª. Delineavit illa annulata confluentia Yaws tubercula in cute alba, illic Pian-Ulcus dicta; cutis autem in annulo nigri coloris erat. Hoc solummodo apud Nigritanos locum habet; nam in albis pericarpium rubrum est; annulos saepe etiam majoris magnitudinis vidi, quam depinxit doct. NOLTE.

11) Perperam LEVACHER, libri citati pag. 308, ad illas retulit affectiones, quae in Antillibus nomine Crabbe sec sive courant innotuerunt. Ex ejus descriptione plane recognoscere possumus nil aliud esse, quam Psoriasin plantarum et palmarum. — Quod autem morbus Claver-Yaws in Surinamia unice apud Nigritanos et Creoles invenitur, ut doct. HILLE (CASPERS Wochenschrift 1843) opinatus est, ei rei videtur esse tribuendum, quod nudis pedibus incedant.

12) Delineationes morbi Yaws auctore SCHORRENBERG factae (Nederl. Lancet, Series II, Jaarg. 4, pag. 38), minores sunt, quam ut inde morbus plane recognosci possit.

13) ALIBERT, Monographie des dermatoses, Paris 1832, Tom. II, pag. 434.

14) KÜHN, Beschouwing van den toestand der plantagieslaven, Amsterdam 1828, pag. 33.

15) FUCHS, Libro citato, pag. 532.

16) Conferatur etiam. Bijdrage tot de kennis der ziekten van de Negers in de kolonie Suriname, door Dr. LANDRÉ (Nieuw Practisch Tijdschrift van Dr. ALI COHEN, 1852).

17) Libro cit., pag. 299.

18) POOLMAN, Ziekten der Negers, pag. 3.

19) Bijzondere Pathologie en Therapie, Tom. I, § 724.

20) KÜHN, Libro cit., pag. 340 sqq.

21) KÜHN, Libro cit., pag. 339.

22) FUCHS, Libro cit., pag. 527.

23) FUCHS, Libro cit., pag. 541.

24) FUCHS, Libro cit., pag. 542.

25) Magnus ille metus apud nonnullos hac in colonia patet ex sententia, quam WEYL in delegatorum medicorum conventu protulit. Animalium nempe culturam in aede, quae Leprosorum inscribitur, improbavit, ne muscis-Yaws morbus (lepra) in pecudes possit transferri (Vide Handelingen van het Gouvernement en de geneeskundige Commissie enz. Nieuw practisch Tijdschrift van Dr. ALI COHEN, Jaarg. 1849, pag. 766).

26) SWEDIAUER, Malad. vénér. Tom. II, pag. 62.

27) Over Staatsgeneeskunde etc., 's Gravenhage 1852, pag. 62.

28) RODSCHIED, Medic. chirurg. Bemerkungen über Rio Essequebo.

29) Libro cit., pag. 531.

30) Antea, si quae requirerentur ad usum in campis colonorum (plantagien), semper inveniebantur hae voces: »spek voor de Yaws-kinderen."

31) SCHILLING, Diatribe de morbo in Europa penitus ignoto, quem Americani vocant Yaws, Trajecti ad Rhenum, 1770.

32) G. M. NIELEN, Verhandeling over de Indiaansche pokken. Vide Verhandelingen van de Hollandsche Maatschappij van Wetenschappen te Haarlem, 1780, pag. 135.

33) LEVACHER, Guide medical des Antilles, pag. 278.

34) Ned. Lancet, Ser. II, Jaarg. 4.

35) Practische Darstellung der Hautkrankheiten von THOMAS BATEMAN, übersetzt von LUDWIG CALMANN, mit Anmerkungen versehen von ERNST BLASIUS, Leipzig 1835, pag. 371.

36) FERMIN, Traité des maladies fréquentes a Surinam, avec une dissertation sur le fameux Crapaud de Surinam, mommé Pipa, Maestricht 1764 et Amsterdam 1765, in 12°.


GALIEN
HIPPOCRATE